

Hujusmodi jura etiam repetendum a Successoribus Ludovici.

§. 8. Similem autem recognitionem, Vassallagium, homagium ligium, & juramentum renovabis, facies, & prestabis unicuique Romano Pontifici, & dictae Ecclesiae infra biennium a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: & similia prestabit, & faciet, & similiter renovabit, & facere, prestare, & renovare tenebitur unusquisque heredum, & Successorum tuorum in dicto Principatu nobis infra biennium, ex quo ipse haeres tuus in hujusmodi Principatu fuerit, & unicuique alii Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ipsi Romanae Ecclesiae secundum praescriptum, formam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, suum proprium exprimens. Sed postquam tu per te nobis hujusmodi recognitionem, homagium, vassallagium feceris, ac fidelitatis juramentum, praestiteris secundum formam praedictam, haeres, & Successores tui, in dicto Principatu nobis, tuque, & ipsi, Successoribus nostris Romanis Pontificibus illa facere, vel praestare, personaliter non astringamini, dummodo infra dictum biennium secundum eandem formam per idoneum, vel idoneos subditum, vel subditos ad hoc plenum mandatum habentes, recognitionem, homagium, Vassallagium feceritis, ac juramentum praestiteritis supra dicta, & si plus placuerit Romano Pontifici, vel Romanae Ecclesiae recognitionem, homagium, Vassallagium, & juramentum praedicta facietis, atque praestabitis tu, & haeres, vel Successores tui praedicti nomine Summi Pontificis, & Romanae Ecclesiae illi, vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex, vel Sedes eadem deputabit. Quodcumque vero tu, vel haeres tui in dicto Principatu praedictam recognitionem, obligationem, homagium, Vassallagium, ac fidelitatis juramentum facietis, atque praestabitis per vos, vel alium, seu alios, ut superius continentur, dabitur infra mensem post, Romano Pontifici, & eidem Ecclesiae patentes litteras vestro sigillo sigillatas, in quibus fatebimini, & recognoscetis expresse dictum Principatum a nobis, & Romana Ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conventionibus, modo, & forma, ac tenore, quae praesentibus nostris litteris continetur.

§. 9. Praeterea tu, vel haeres, aut Successores tui praedicti, nullam confederationem, seu pactiorem, societatem, aut ligam scienter contra Romanam Ecclesiam facietis, & si eam forte feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis, seu Romanae Ecclesiae penitus revocare. Omnium autem praedictorum, praesentibus litteris nostris contentorum declaratio, & interpretatio, quoties opus fuerit, faciendae ad Romanum Pontificem, seu Romanam Ecclesiam pertinebit: quoties super his, vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid, vel dubii oriri contingeret, cujus Romani Pontificis, vel Romanae Ecclesiae interpretationi, & declarationi stabitur verbo, seu litteris, prout ipsi Romano Pontifici, vel Ecclesiae placuerit faciendis.

Nulli ergo &c.
Datum Avinioni XVII. Kal. Decembris anno tertio.

Leges alia impolite.

Dix. die. 14. N. ven. bris 1144. Pontif. III.

Confirmatio Diplomatis a Joanna Regina in favorem Sanciae matris concessi.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Eximia devotionis sinceritas, quam in Christo filia Clara Soror Monasterii Sanctae Crucis Neapolitan, ordinis Sanctae Clarae olim Sancia Regina Siciliae, ad Sedem Apostolicam semper gessit, & ad nos, & Sedem eandem gerere dignoscitur, promeretur, ut petitionibus suis, illis praesertim, quae divini cultus augmentum, & aliorum piorum operum executionem contingunt, quantum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

§. 1. Petitio si quidem ejusdem Clarae olim Sanciae nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ante ipsius Clarae Religionis ingressum, & assumptum ipsius Religionis habitum regularem, Carissima in Christo filia Joanna Regina Siciliae illustris habens ad ipsam Claram, olim Sanciam Reginam, benevolentiae specialis affectum conformando vota sua super his dispositioni, & beneplacito clarae memoriae Roberti Siciliae avi sui, & ejusdem olim Sanciae Reginae Viri, in suo ultimo per eum condito legitime Testamento expressis, praefatae tunc Sanciae quascumque donationes, & concessiones factas, & indultas eidem, tam per ipsum Robertum Regem avum suum dum viveret, quam per eam de quibuscumque Terris, Castris, casalibus, & bonis Feudalibus, tam de Regni Demanio ex certa ipsius Joannae Reginae scientia, ac leges constitutione, & ordinatione, quae alienationem demaniorum prohibet fieri, & quod Demanio existant, non obstantibus quoquomodo, quas in ea parte de ipsa certa scientia suscipit, ac juribus, & efficacia vacuaverat, quam de ipsis Roberti Regis avi sui, & suas manus suis vicibus rationabiliter devolutis, necnon de quibusvis terris, Castris, casalibus ad manus Regalis curiae, sive ipsius Joannae Reginae legitime devolvendis, sive in excambium dictarum terrarum demanii, sive in assecutionem provisionum, quas praefata olim Sancia habebat ab ipsa Regali, & ejusdem Joannae Reginae curia quocumque modo concessis, & insuper omnes, & singulas provisiones, & stabilitiones jura, & indulta, concessionesque alias eidem Sanciae Reginae factas, super quibuscumque causis rebus, atque negotiis, tam per ipsum Robertum Regem dum viveret, quam per eandem Joannam Reginam postmodum, sub quacumque forma, & expressione verborum, ac litteras privilegia, & indulta proinde concessa cujuscumque contentae, seu tenoris existerent, eorumque substantiam, & effectum, etiamsi foret expediens quod fieret de illis in suis litteris expressa mentio, ac etiam specialis, per speciale privilegium, de certa ipsius Joannae Reginae scientia motu libero, gratia speciali, & dominica potestate,

Sancia Reginae alogium.

Joanna Regina Sanciae dispositiones confirmat.

state, ac de consilio, & assensu omnium gubernatorum, & administratorum suorum ratificavit, & approbavit, ac specialis confirmationis suae praesidio communivit, illaque rata, & firma esse decrevit, & obtinere in commutabilem firmitatem, juxta illorum mentem, & seriem, de praedicta ipsius certa scientia declaravit, reservato per eandem Reginam sibi, suisque haeredibus, & successoribus specialiter, & expresse, quod dato prius praefatae Clarae olim Sanciae Reginae, pro illis ex praedictis Castris, terris, seu Civitatibus, quae de mero demanio Regio non existant, eidem Joannae Reginae, suisque haeredibus, & successoribus antedictis, sit licitum bona ipsa demanialia ad sui demaniorum revocare, prout haec & alia circa illa in quibusdam patentibus litteris exinde confectis, praefatae Joannae Reginae sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius, & seriosius continetur.

Est ab Apost. Sede validari petit Sanciae.

Quod concessit Pontifex.

Joanna Reginae Litterae.

§. 2. Quare praefata Clara, olim Sancia Regina nobis humiliter supplicavit, ut ratificationem, approbationem, & confirmationem hujusmodi, ac aliis per eandem Joannam Reginam super his factis, & contentis in litteris antedictis Apostolicae confirmationis robur adiacere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos itaque ipsius Clarae olim Sanciae devotis in hac parte supplicationibus annuentes ratificationem, approbationem, & confirmationem hujusmodi, & alia in litteris praefatis contenta rata, & grata habentes illa auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communitus. Tenor autem datarum litterarum talis est.

§. 4. Joanna Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliae, Ducatus Apuliae, & Principatus Capuae, Provinciae, & Forqualquerii, ac Pedemontis Comitissa, universis praesens privilegium inspecturis tam praesentibus, quam futuris. Officium filialis reverentiae admonet, & charitatis affectus signanter inducit, ut inclite Dominae Sanciae Dei gratia Hierusalem, & Siciliae Reginae reverenda Dominae matris nostrae, potestatis nostrae praesidium commoda studiose promoveat, & ejus augmenta cum solerti attentione producat. Hinc itaque considerationis instinctum, ac habentes ad ipsam Reginam matrem nostram specialis benevolentiae zelum; quo interne movemur ejus compendia promovere, conformando in hac parte vota nostra dispositioni, & beneplacitis clarae memoriae Domini avi nostri Hierusalem, & Siciliae Regis illustris in suo ultimo per eum condito legitime Testamento praefatae Reginae Matri nostrae quascumque donationes, & concessiones factas, & indultas sibi tam per ipsum Dominum avum nostrum, dum viveret, quam per nos de quibuscumque terris, castris, atque casalibus, & bonis feudalibus tam de Regni Demanio, ex certa nostra scientia, ac lege, consuetudine, & ordinatione, quae alienationem demaniorum fieri prohibet, & quod Demanio existant, non obstantibus quoquomodo, quas in hac parte de ipsa certa scientia no-

stra tollimus, ac viribus, & efficacia vacuumus, quam ad ipsius Domini avi nostri, & nostras manus suis vicibus rationabiliter devolutis, necnon de quibusvis terris, castris, atque casalibus, & bonis specialiter, vel generaliter in suis casibus ad manus Regalis curiae, seu nostras legitime devolvendis, sive in excambium ipsarum terrarum Demanii, sive in assecutionem provisionum, quas habebat, & habet ab ipsa Regali curia, & nostra, seu aliter quocumque modo concessis, & insuper omnes & singulas provisiones, ac stabilitiones, jura & indulta, & concessiones alias factas ipsi Dominae matri nostrae super quibuscumque causis, rebus, atque negotiis tam per ipsum Dominum avum nostrum, quas nos postmodum sub quacumque forma, & expressione verborum, eorumque litteras privilegia, & indulta proinde concessa, cujuscumque sint continentiae, seu tenoris, eorumque substantiam, & effectum etiam si foret expediens, quod fieret de illis praesentibus expressa mentio, ac etiam specialis hujusmodi privilegii serie, de certa nostra scientia, motu libero, gratia speciali, & Dominica potestate, de consilio, & assensu omnium gubernatorum, & administratorum nostrorum ratificamus, & approbamus, ac specialis nostrae confirmationis praesidio communimus, illaque rata, & firma esse decernimus, & obtinere incommutabilem firmitatem juxta illorum mentem, & seriem, de ipsa nostra certa scientia declaramus: Volentes, & de ipsa certa nostra scientia decernentes expresse, quod hujusmodi nostrae ratificatio, approbatio, & confirmatio, ac Decretum, & declaratio eidem Reginae matri nostrae perpetuo, & efficaciter, & incommutabiliter sint reales, illaque efficaciam, vigorem, effectum realem habeant, ac etiam efficacem, ac si omnia ipsa donationes, concessiones, & dationes, privilegia indulta, & litterae essent de verbo ad verbum, ac specialiter, & expresse contenta, & declarata praesentibus, & seriosius annotata, & ad eorum quodlibet accessisset nostra confirmatio specialis, & pro majori efficacia, & robore praemissorum volumus, & sancimus expresse de eadem certa nostra scientia, ut jam dictis nostris confirmationi, ratificationi, & approbationi, ac declarationi, & Decreto nulla in contrarium jurisdictio, interpretatio, vel subtilitas quomodolibet admittatur, per quas ipsi donationibus, concessionibus, donationibus, privilegiis, indultis, & litteris, ac praesentibus nostris confirmationi, approbationi, ac declarationi, & Decreto, seu eorum alicui, quocumque colore, sive praetextu, possit quomodolibet derogari, cum existat nostrae firmae concedentis intentio, a cuius mente non juste receditur, quod ipse donationes, concessiones, dationes, privilegia, indulta, & litterae, & praesentes nostrae confirmatio, ratificatio, approbatio, ac declaratio, & Decretum, valida rataque permaneant, & successivis temporibus inconcussam obtineant roboris firmitatem, cujusvis obviantis & turbis repulsiva, lege, capitulis, constitutione quibuscumque contrariis, quae in hoc casu de ipsa nostra scientia tollimus, & viribus, & efficacia vacuumus, his

nonobstantibus aliquatenus in adversum, ut ex his erga dictam Dominam matrem nostram in virtuosis actionibus nostrae sinceritatis affectio signanter vigeat, ac firmo, laudabilique primordio premissis omnibus praesidialia adfectio assistentis firmitatis accedat. Et quia inter praedicta bona feudalia concessa praedictae Reginae aliqua castra, terrae, seu civitates, de mero nostro demanio esse censentur, sicque nobis, nostrisque haeredibus, & Successoribus reservamus specialiter, & expresse quod dato prius Reginae praefatae competenti, & equivalenti ex cambio de aliis bonis, quae de mero demanio non existunt, licitum sit nobis, nostrisque haeredibus, & successoribus bona ipsa demanialia ad nostrum demanium revocare: in cuius rei fidem perpetuamque memoriam, & dictae Reginae cautelam praesens privilegium exinde fieri, & pendenti excellentiae nostrae sigillo iustitiam communitari. Datum Neapoli per manus Arnulphi Cumani de Neapoli juris civilis professoris Viceprotonotarii Regni Siciliae anno Domini MCCCXLIV. die XI. Januarii duodecima Indictione Regnorum nostrorum anno I.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione decimo nono Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die. 14. Januarii 1345. Anno III.

VII.

Reformatio Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis circa Prioris Generalis, & aliorum Priorum, & Definitorum munera, & electiones, Capitulumque generalium, & provincialium celebrationem.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Praemium.

Regimini universalis Ecclesiae, quamquam immeriti, disponente domino praesidentes, curis continuis angimur, & assidua meditatione pulsamur, ut religiosorum quorumlibet status auctore Domino salubriter dirigatur, & ne loca religiosorum eorumdem, eorumque personae propter altercationes, quas inter eos interdum suscitari contingit, subeant spiritualiter, & temporaliter detrimenta, sed potius quorumlibet Ordinum professores in tranquillitate mentis, & corporis, devotum, & gratum, prout ad id se dedicaverunt, impendant Domino famulatum, libenter nostrae provisionis remedium adhibentes.

Majus Ordinis reformatio a Benedicto XII. datus S. R. E. Cardinalibus co. nulla.

§. 1. Dudum siquidem pro parte quorundam Fratrum Servorum Sanctae Mariae Ordinis Sancti Augustini proposito in Consistorio coram felicitis recordationis Benedicto Papa XII. Praedecessore nostro, quod quondam Petrus de Tuderto Prior Generalis Fratrum dictorum Servorum, in regimine & administratione sua, male & partialiter se habebat,

propter quod status praedictorum fratrum in spiritualibus, & temporalibus reformatione non modica indigebat; Praefatus praedecessor volens de his, super quibus eorundem Fratrum status reformandus existeret plenius informari, praedictum Petrum, & nonnullos alios Priores, & Fratres eorundem Servorum, de quibus visum sibi fuit expedire, pro reformatione hujusmodi facienda, ad Sedem Apostolicam fecit personaliter evocari, eisque venientibus ad Sedem antedictam, venerabilibus fratribus nostris Petro Praenestino, & Bertrando Ostiensi Episcopis commisit oraculo viva vocis, ut partes ipsas super iis, quae ad reformationem praedictam spectarent, ad concordiam reducerent, & quaecumque super his facerent, eidem praedecessori postea fideliter referre curarent. Coram quibus Petro, & Bertrando Episcopis, praefatis Petro Generali, & aliis Prioribus, ac fratribus, ut praemittitur, evocatis personaliter comparentibus, & exhibentibus nonnulla capitula, secundum quae statum dictorum Fratrum Servorum reformatione indigere dicebant, super iis, quae coram ipsis super reformatione hujusmodi dicere, & proponere voluerunt, disloque praedecessore nostro postea, sicut domino placuit, sublato de medio, nobiscum divina favente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, & praemissis pro parte dictorum Petri Generalis, & aliorum Priorum, & Fratrum propositis coram nobis;

Ab ista nonnulla confusa Capitula;

Et a Clemente PP. confusa.

§. 2. Nos ad reformationem status dictorum fratrum sollicitis studiis intendentes, praefata Capitula cum eisdem Petro, & Bertrando Episcopis examinavimus diligenter. Et tandem nonnulla, quae pro reformatione salubri status dictorum Fratrum suadente utilitate, & necessitate urgente, expedire cognovimus, statuenda providimus, inter, ac per eosdem fratres Servorum perpetuis futuris temporibus observanda.

De Capitula generali quolibet triennio celebranda, & Voqualibus.

§. 3. Statuimus igitur, quod per eosdem fratres, per quos omni anno celebrare consuevit dictorum fratrum Capitulum generale, ex nunc de triennio in triennium tantum Generale Capitulum celebretur, ad quod teneantur venire Prior generalis, qui est, & pro tempore fuerit, & omnes Priores provinciales, necnon & studiorum generalium Lectores in sacra Theologia legentes, & etiam Priores Conventuales, & discreti prout pro communitate ipsorum fratrum generale Capitulum de ipsis conventualibus prioribus, & personis discretis salubriter duxerit ordinandum.

De Capitulis Provincialibus.

§. 4. Praeterea statuimus, quod in qualibet Provincia eorundem fratrum provinciale Capitulum anno quolibet celebretur, ad quod veniat Prior Provincialis, & Priores conventuales, seu locales, Lectoresque in quacumque facultate legentes, & duo fratres discreti de singulis Conventibus, sive locis illius Provinciae, electi a majori parte conventus, qui duodecim fratres tantum, vel minus habebunt, unum fratrem discretum dumtaxat ad ipsa Capitula provincialia mittere teneantur. In his autem provincialibus Capitulis, Prior generalis interesse, vel suum generalem Vicarium ad

ad

ad ea mittere valeat, sicut eidem priori visum fuerit expedire, & eisdem Capitulis assistat idem Prior, vel Vicarius in correctionibus aliis opportunis. In eisdem autem Capitulis provincialibus eligantur studentes Parisiis quotiens fuerit opportunum.

De Prioribus Generali eligendo, vel confirmando.

§. 5. Statuimus etiam, quod ex nunc Prior generalis, qui erit pro tempore, in quolibet generali Capitulo, de triennio in triennium, ut praemittitur, in posterum celebrando sine requisitione aliqua, primo, & antea omnia, suo officio renunciare teneatur in manibus Definitorum generalis Capituli, quod si non fecerit privatus sit eodem officio ipso facto. Postquam vero renunciaverit, possit pro ipsius meritis, vel demeritis, Definitorum ipsius generalis Capituli arbitrio, in eodem generalis Prioris officio dimitti, vel ab eo penitus amoveri, & in locum ipsius alius idoneus per dictum Capitulum subrogari, & in casu, quo, ut praemittitur, amoveretur, vel renunciare contemneret, per ipsum Capitulum alius in Priorem generalem sufficiens, & idoneus eligatur. Eisdem fratribus auctoritate Apostolica de speciali gratia concedentes, quod Priores generales dictorum fratrum, qui erunt pro tempore, postquam ut praemissum est, & alias juxta morem hactenus inter eos observatum, electi fuerint, & per generale Capitulum approbati, eo ipso veri Priores generales dictorum Fratrum sint effecti, & administrandi licentiam, curamque animarum habeant, ac in omnibus pro ipsorum fratrum Prioribus generalibus perinde habeantur, ac si ab Apost. Sede confirmationis literas habuissent.

Qui eligi nequeant in Priorem generalem.

§. 6. Nullus tamen nisi expresse professus fuerit, & qui inter dictos fratres non fuerit ad minus per viginti annos continuos, in Priorem generalem eorumdem fratrum eligi valeat, aut assumi.

De Definitoribus Provincialium eligendis.

§. 7. Ordinamus insuper, ut amodo singularum Provincialium praedictorum fratres eligant unum fratrem providum, & maturum in Definitorum pro generali Capitulo, & fiat hujusmodi electio in Provinciali Capitulo, quod immediate praecedet Capitulum generale: Definitorum vero pro Capitulis Provincialibus eligantur a fratribus, in eisdem Capitulis Provincialibus congregatis.

De Priorum provincialium electione.

§. 8. Statuimus etiam, quod fratres cujuslibet Provinciae post primum generale Capitulum per ipsos celebrandum, quamcivis poterant, in aliquo loco ejusdem Provinciae ad hoc apto, & idoneo, suum celebrent Provinciale Capitulum hac vice congregandum, prout in dicto generali Capitulo fuerit ordinatum, in quo unum ex dictis Fratribus sufficientem, & idoneum, in suum Provinciale Priorem eligant, qui sic electus, & constitutus, infra mensem a tempore electionis, & constitutionis hujusmodi consentire, & confirmationem a dicto Priori generali, vel ejus generali Vicario petere humiliter non omittat: quam quidem electionem, si canonica fuerit, idem Prior generalis, vel ejus generalis Vicarius, quem idem Prior generalis juxta modum infra scriptum deputare habeat, ultra mensem a die, qua petita fuerit, non differat confirmare.

Quod si ex justa, & rationabili causa idem Prior generalis, seu ejus Vicarius munus confirmationis denegaverit, causam, seu causas hujusmodi, suis publicis, & authenticis literis teneatur expedire, & electoribus, qui eum elegerunt intimare, & de alio sufficiente, & idoneo cum consilio Conventus loci, ubi dictus Prior generalis, vel ejus generalis Vicarius, fuerit usque ad tunc immediate sequens Capitulum utiliter providere. Circa confirmationes autem electionum Priorum Provincialium in posterum celebrandas, modus praedictus per omnia observetur. In primis vero Provincialibus Capitulis dictorum Fratrum celebrandis provide ordinetur de locis, temporibus, & Definitoribus, necnon & aliis opportunis, pro subsequendis Provincialibus Capitulis celebrandis.

De Prioribus Conventualibus eligendis, & confirmandis.

§. 9. Statuimus insuper, quod in quolibet loco Conventuali dictorum Fratrum, ubi ad minus duodecim Fratres fuerint, ipsi sibi eligant suum Priorem Conventualem, qui infra quindecim dies post suam electionem immediate sequentes confirmationem a Priore suo Provinciali devote petere debeat, & ipse Prior Provincialis infra alios quindecim dies subsequentes, electionem eandem, dum tamen ipsam Canonicam reperierit, debeat confirmare, vel si ipsam minus canonicam invenerit, causam, seu causas, propter quas eam confirmare omiserit, exprimat, intimet, & una cum consilio discretorum loci, ubi fuerit, provideat, prout supra proxime de Priore Provinciali extitit ordinatum.

Prioris Provincialis officium quolibet triennio expleatur.

§. 10. Volumus quoque quod Priores Provinciales postquam tribus annis continuis in Provincialibus officio praefuerint, absolvantur, seu removeantur penitus ab eodem, prohibentes, quod ad idem officium saltem in eadem Provincia quovis modo per alios tres annos immediate sequentes nullatenus assumantur, vel ad idem officium promoveantur.

Definitorum quando iterum eligi possunt.

§. 11. Similiter Definitores generalis Capituli non eligantur ad idem definitionis officium, nisi demum elapsis duobus Generalibus Capitulis immediate sequentibus, possint tamen alias licite in Definitorum Provincialis Capituli eligi pariter & assumi. Definitorum etiam Provincialis Capituli ad idem officium, nisi duobus elapsis Capitulis Provincialibus nullatenus assumantur.

Priorum Conventualium officium quatuor tempore daret.

§. 12. Priores etiam Conventuales, anno, vel ad longius biennio in suis Prioratibus habeant praesidere.

Juramentum a Priore generali a Definitoribus, aliisque Prioribus emittendum.

§. 13. Statuimus etiam quod Prior generalis dictorum Fratrum, qui erit pro tempore, in sui novitate, & antequam suum exequatur officium, in praesentia generalis Capituli corporale ad sancta Dei Evangelia praestare debeat juramentum, quod erit fidelis Sanctae Romanae Ecclesiae, Domino Papae, suisque successoribus, & in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, repulsionibus, destitutionibus, & majoribus correctionibus faciendis, sine acceptatione personarum secundum Deum, & rectam suam conscientiam, & Beati Augustini regulam, necnon, & eorumdem Fratrum statuta, & consuetudines, lap-

laudabiliter, & fideliter se habeat, & suum officium exerceat. Priores quoque Provinciales in suorum Provincialium Capitulorum, & Priores Conventuales in suorum Conventualium, necnon & Definitorum Generalium Capitulorum in ipsorum Capitulorum Generalium, & Definitorum Capitulorum Provincialium in ipsorum Capitulorum Provincialium presentia jurent, quod in provisionibus, & ceteris superius expressis quantum ad ipsorum officium pertinuerit, fideliter se habebunt.

Munera nec danda, nec accipienda.

§. 14. Hortamur insuper, & monemus omnes, & singulos Fratres predictos, ut nullus eorumdem munera, seu donaria suis Superioribus, per se vel per alium audeat quomodolibet impetiri, ipsique Superiores illa recipere non presumant. Nulli ergo, &c.

Dat. die 27. Martii 1346. An. IV.

Dat. Avenione, 10. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno IV.

VIII.

Prohibitio dandi, vel acquirendi dominium aut jurisdictionem, vel preeminentiam aut obligationem, super locis & castris patrimonii S. Petri, aut quocummodo ea occupandi.

Joannes XXII. Const. XXIX. super pag. 183. Alienationes, donationes, locationes, aliaque hujus generis per Rectores S.R.E. in Patrimonio, Thracia, Sabinesi Comitatu factas voluit irritas.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

Et si solertem adhibere vigilantiam, ne quarumlibet Ecclesiarum jura deperant, ex debito nostri officii teneamur: in mantenendis tamen, defendendis, recuperandisque occupatis juribus Ecclesie Romanæ sponse nostræ, quæ disponente Domino caput omnium & magistra ceteris altiori dignitate præcellens, majoribus est juvenanda præsidis, & amplioribus honoribus attollenda, esse debemus solliciti, & attenti.

Causæ faciende legis.

§. 1. Ad obviandum igitur perveris illorum conatibus, qui sibi commoda, non se commotis patrimonii B. Petri in Thracia, quod juris, & proprietatis ejusdem Ecclesie fore, ac eidem immediate subesse dignoscitur, applicantes temere civitates, castra, & villas ejusdem Patrimonii ad eandem Ecclesiam pertinentia, eorumque dominium, superioritatem, advocacionem, capitaneatum, & jurisdictionem, in ipsius Ecclesie grave præjudicium, contra constitutiones & ordinationes olim per fel. recor. Urbanum IV. & Joannem XXII. ac diversos alios Romanos Pontifices prædecessores nostros editas, non verentur diversis exquisitis coloribus occupare, & sibi in eisdem dominium, superioritatem, & præminentiam vendicare: hac perpetua constitutione sancimus.

Prohibitio, de qua in rubrica.

§. 2. Ut nulla Civitas vel Communitas, nullaque singularis persona, cujuscumque conditionis vel status existat, deinceps in aliquibus civitatibus, castris, seu villis ipsius Patrimonii ad prædictam Romanam Ecclesiam spe-

ctantibus, dominium, superioritatem, capitaneatum, advocacionem jurisdictionis, seu aliquam præsentiam seu præminentiam prætextu cuiuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis, & obligationis, contractus, vel pacti, aut cuiusvis alterius commercii absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali recipere audeat, vel sibi dominium, præsentiam, capitaneatum seu jurisdictionem in prædictis civitatibus, castris, seu villis ex quavis occasione, & causa quomodolibet vendicare: quodque civitates, & singulares personæ, submissiones, suppositiones & subiectiones quascumque iam in eas factas, & receptas, seu de facto, cum de iure non teneant quomodolibet attentas, dimittere teneantur, nec civitates, castra, seu loca alia, quæ se eis, ut præmittitur, submiserunt vel quomodolibet subiecerunt, virtute submissionis, & suppositionis alicuius, vel cuiusvis contractus titulo, valeant retinere: nullaque Universitas seu Communitas civitatis, castri seu villæ Ecclesie Romanæ subiecta, in terris Patrimonii constituta, alicui Universitati, seu Communitati, vel privata personæ, cuiuscumque conditionis aut status existat, se subicere, submittere, seu supponere valeat, constituendo, recognoscendo, seu profitendo, se subesse alicui Universitati, vel private personæ, seu ad eisdem super eos, & in ipsis ac dictis civitatibus, castris, & villis, aliquam jurisdictionem, dominium, capitaneatum seu quamvis aliam præminentiam pertinere.

Pene contra in obedientiam.

§. 3. Et si quæ civitates, castra, vel loca, iam de facto ad submissionem, & suppositionem aliquibus Civitatibus, vel privatis personis de se factam venditionis, donationis, vel cuiusvis alterius contractus colore vel titulo processerunt, illa quamvis de iure valeant, quatenus de facto processerunt realiter & effectualiter studeant revocare, nec illis umquam utantur: nec virtute submissionum huiusmodi vel alias, illis quibus quovis titulo vel colore se submiserint, ullatenus obediant, pareant, vel intendant: contrarium facientes directe, vel indirecte, per se vel alios, tam illi, & eorum singuli, qui in civitatibus, castris, aut villis eiusdem patrimonii, vel eorum aliquo, huiusmodi dominium, superioritatem, capitaneatum, advocacionem, iurisdictionem quamcumque, præminentiam, seu præsentiam sine licentia Sedis Apostolicæ speciali recipient in futurum, & qui iam ex quocumque contractu, vel obligatione receperunt, seu quavis usurpatione quomodolibet occupaverunt, nisi sic recepta, & occupata infra duorum mensium spatium, postquam præfens Constitutio ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos steterit, quominus valeat pervenire, dominium seu præsentiam, superioritatem, capitaneatum, advocacionem, iurisdictionem quamcumque, seu præminentiam, huiusmodi realiter dimiserint cum effectu, illa nullo umquam tempore absque ipsius Sedis licentia resumpturi: quam illi, qui se submiserint, seu subiecerint, ut præfertur simili modo cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, singulares perso-

sonæ sententiam excommunicationis incurrant, ac Terræ ipsorum ubicumque fuerint, Ecclesiastico interdicto subiaceant ipso facto. Civitates autem, castra, & villæ, quæ in antea se submittent, supponent, seu subiciant, & quæ submissionem, suppositionem seu subiectionem huiusmodi recipient, seu quomodolibet occupabunt, civitates quoque, castra, etiam loca quæcumque, quæ se jam quovis colore vel titulo, ut præmittitur, submiserunt, & subiecerunt, ac civitates, quæ submissiones, & subiectiones huiusmodi receperunt, nisi infra prædictum duorum mensium spatium, ab omni effectu dictæ submissionis, & subiectionis realiter desisterint ipsis ulterius non usuri, seu contra constitutionem, & inhibitionem nostram venire directe, vel indirecte, per se, vel alium seu alios attentabunt, Ecclesiastico subjacere decernimus interdicto. Et nihilominus omnibus indulgentiis, privilegiis, ac gratiis, necnon feudis, bonis, & honoribus, & juribus quibuscumque, quæ ab eadem Romana, & aliis Ecclesiis obtinent, privamus, & privatos, & privata volumus esse ipso facto: Non obstantibus si eis, vel eorum aliquibus, communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, ipsorumque Terræ & loca Ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem.

Annulatio omnium huiusmodi contractuum &c.

§. 4. Nos insuper omnes submissiones, & subiectiones, & suppositiones super prædictis factas, & obligationes, pacta, seu conventiones, sub titulo venditionis, vel cuiusvis alterius contractus quomodolibet initas, & habitas, & quascumque poenas adiectas, & juramenta præfata super illis, sub quibuscumque modis, & forma, vel expressione verborum (præsertim cum in præjudicium ejusdem Ecclesie redundent, ac juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat) decernimus fore nulla, vacua, irrita, & inania, & nullius existere firmitatis, & quatenus ad illa de facto processum extitit, tollimus, & revocamus omnino, & viribus vacuumus.

Joannis XXII. hac super re, Constitutione roborat.

§. 5. Ceterum cum præfatus Joannes Papa XXII. Prædecessor noster, dudum universis, & singulis tam Clericis, quam Laicis cuiuscumque status, ordinis, conditionis, præminentie, vel dignitatis existerent, etiam si Pontificali, vel Imperiali, seu Regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, ac omnibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ac Potestatibus, Capitaneis, & aliis Officialibus quibuscumque Comitibus, & Populis, Civitatibus, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium, & omnibus aliis quibuscumque, auctoritate Apostolica, inhibendum per suas literas vim Constitutionis habentes duxerit, & mandandum ne per se, vel alios, directe, vel indirecte Patrimonii, Romandiole, Marchie Anconitanæ, Ducatus Spoletani, Campaniæ, Maritimæque, ac Massæ Trebariæ Provincias, Venetini, & Urbinate, olim comitatus, ac Urbinatensis, &

Ravennatensis Civitates, & alias terras, civitates, castra, villas, & loca quæcumque ad eandem Romanam Ecclesiam pertinentes, vel ipsorum, aut alicujus eorum partem occupare, invadere, aut turbare, seu fidelibus eorumdem injurias, damna, seu violentias irrogare, aut occupantibus, invadentibus, turbantibus, vel injurias, damna, seu violentias irrogantibus, publice, vel occulte assistere, aut auxilium, consilium, vel favorem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, per se, vel per alium, seu alios prestare præsumerent quocummodo, in omnes & singulos, contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi venire, aut attentare, per se vel per alios præsumentes, tam Clericos, quam Laicos, etiam si, ut prædicitur, Pontificali aut Imperiali, seu Regali, vel alia quavis dignitate fulgerent, de Fratrum suorum consilio, excommunicationis, quam eo ipso incurrerent sententiam promulgavit, ipsorumque terras necnon quaslibet Universitas, Communitates, & populos ipsorum, civitates, terras, castra, villas, & loca in præmissis, vel aliquo præmissorum culpabiles, Ecclesiastico supposit interdicto, & eos, ac ipsorum quemlibet omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, & immunitatibus realibus, & personalibus, ab eadem Ecclesia, & Imperio Romano concessis eisdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, jurium, & jurisdictionum, quæ ab Ecclesia, & Imperio prædictis obtinerent, de ipsorum Fratrum, consilio, auctoritate privaverit supradictas, ipsos ad illa, & similia, & quælibet alia, eorumque filios, & nepotes ad quælibet beneficia Ecclesiastica, dignitates, personatus, & officia, cum cura, vel sine cura, quovis nomine censentur, auctoritate quolibet obtinenda usque ad tertiam generationem exclusive reddendo inhabiles, & indignos;

§. 6. Nos per præmissa, vel quæcumque alia, inhibitioni, mandato, poenis, & sententiis per ipsum prædecessorem factis & promulgatis, ut superius est expressum, aliiisque contentis in literis supradictis, non intendimus in aliquo derogare, sed inhibitionem mandatum, poenas & sententias, & alia supradicta per præsentem constitutionem nostram roboramus, & in sui vigoris efficacia volumus & decernimus permanere.

Clausula.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ privationis, admonitionis, revocationis, roborationis, voluntatum, & constitutionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. Avenione 16. Kal. Aug. Pont. Nostri Anno V.

Dat. die 16. Julii 1346. An. V.

I X.

Ex Ratvoldo ad Ann. 1346 6-73.

Confirmatio Actorum Concilii Posonienfis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Concilium hoc celebratum Posonii Legato Sedi Ap. presidente.

Petitio pro parte venerabilis Fratris nostri Apetzonis Episcopi Lubucensis nobis exhibita continebat, quod dudum bona memoriae Gentilis tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis in Regno Hungariae, ac Provinciae Poloniae, infra quam Ecclesia Lubucensis existit, ac quibuscumque aliis terris eidem Regno adjacentibus auctoritate Sedis Apostolicae plene legationis fungens officio in Concilio videlicet per eum apud Posonium Strigonienfis Diocesis constitutum in dicto Regno Hungariae celebrato nonnullas constitutiones pro libertate, ac utilitate Ecclesiarum, ac earum Praelatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum infra fines legationis suae consentientium edidit utiles & salubres inhibitiones, prohibitiones, Decreta, interpositiones, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & nonnullas poenas alias continentes, prout in literis praefati Cardinalis inde confectis, ipsius sigillo munitis, quarum quidem constitutionum certa capitula de verbo ad verbum praesentibus inferi fecimus, continentur. Quare pro parte dicti Episcopi nobis exstitit humiliter supplicatum, ut Capitula praedicta, & omnia in eis contenta, cum praefata litera timeantur vetustate consumi, fulcire Apostolico munimine dignaremur; Nos igitur Ecclesias & earum Praelatos, ac personas Ecclesiasticas praedictas, in suis libertatibus, ac utilitatibus, quantum cum Deo possumus, confovere volentes ipsius Episcopi supplicationibus inclinati Capitula praedicta, rata, & grata habentes illa auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communitus, tenores autem dictorum Capitulorum tales sunt.

Quae in eo sancita sunt ab eadem Sede confirmari petuntur.

Quod ecclesia Clemeas.

Acta Concilii.

In Nomine Dñi Amen: Anno ejusdem 1309. indictione VII. Pontif. Domini Clementis Papae V. Anno VI. Incipiunt Constitutiones editae per Reverendum Dominum patrem Gentilem Dei gratia Tituli Sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem in Regno Hungariae Poloniae, ac partibus illis conterminis Apostolicae Sedis legatum, & primo proemium super statu Regni: Frater Gentilis misericordiae Divinae tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Apostolicae Sedis legatus ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Varietati morborum diversa medicamenta propinant, & ipsorum morborum qualitatibus secundum artis peritiam efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adjiciunt; Aliis vero, qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant; sic & Dominus noster Jesus Christus sub figura Samaritani medici formam assumens vulneribus infudit vinum, &

oleum sauciati. Nos itaque ad Regnum Ungariae ab eo, qui pacifici Regis, & summi Medici locum tenet in terris, cum plene legationis officio licet immeriti destinati, attendentes Regnum ipsum infirmitatibus variis, & gravibus laborare, ac propterea informati exemplo Domini Jesu medicorum praecipui diversitatis infirmitatum hujusmodi, & si non omnibus, magis tamen lethalibus cupientes diversas, & congruas adhibere medelas, infra scriptas Constitutiones de Praelatorum dicti Regni, ac per nos Concilii congregati consilio, & assensu, auctoritate, qua fungimur, duximus promulgandas.

De non offendendis Praelatis.

§. 2. Cum Apostolicam Sedem, in qua Christus Catholicae fidei posuit fundamentum, Christianorum matrem esse voluerit, & Magistrum; non est dubium quin Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius, & magistrum discipulus dehonoret. Quia igitur ipsi Apostolicae Sedi non est possibile cunctos filios, & devotos materno affectu, & suo Magisterio praesentialiter confovere, debitum Apostolicae servitutis explere nititur per Episcopos, immo per Archiepiscopos nonnunquam, & per Legatos a latere suo missos, quos quia ejus privilegio gaudent, cujus legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus tamquam Apostolicam Sedem immo Christum, qui in eis se recipi, & audiri, honorari convenit, & foveri. Verumtamen fuerunt, & sunt nonnulli, quos termini nostrae legationis includunt, sicut fide digna relatione percepimus, qui licet gloriuntur nomine christiano ad ipsum tamen Christum, & Apostolicam Sedem debitam reverentiam non habentes, Episcopos, Archiepiscopos, & legatos huiusmodi Doctores Catholicae fidei, & Magistros ipsius Christi vere Vicarios, & Legatos hostiliter insequi ausu sacrilego capere, & percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere non verentur. In quo quantum Christi fidei devotio minoratur, evidenter intelligit, qui prudenter attendit. Proinde nos, qui ex injuncto nobis legationis officio Sedem Apostolicam licet immeriti representamus cupientes omnes, & singulos nostrae legationi commissos de tam nefandis excessibus coercere, praesenti Decreto statuimus, ut nullus de caetero in Dei offensam Apostolicae Sedis contemptum, & Catholicae fidei laesionem praesumat tantum facinus attentare. Si quis autem propriae inimicis salutis reverentia Religionis rejecta, divinis, & humanis legibus in civili damnatione calcatis praemisum scelus exercere praesumpserit per se, vel per alium publice vel occulte, eum excommunicatum, & a totius Christianitatis consortio separatam publice nunciantes, qua fungimur auctoritate privamus omnibus privilegiis, indulgentiis, feudis, gratiis, & beneficiis quibuscumque, ei ab Ecclesia quacumque concessis; omnibus, ad quos pertinet eorum ordinatio, seu dispositio disponendi potestatem liberam concedentes, terram suam nihilominus, & quamlibet aliam, quae

De cultu Praelatis debet.

Eos offendentes obiecti anathema.

qua sibi adherere praesumpserit, interdicto Ecclesiastico supponentes. Et ne minus vindictae quam excessus memoria prorogetur, decrevimus, ut filii talium in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, nec in Domibus regularibus alicuius praelationis assequantur honorem, quod contra factum fuerit irritum, decernentes, nisi cum eis per Apostolicam Sedem, vel Legatum de latere fuerit dispensatum. Et quia dignum est, ut is, qui tot praesumat offendere, poena multiplici castigetur, omnes eorum Vassallos, Castellanos, Comites, Jobagiones, & officiales alios quovis nomine censentur, a fidelitate homagio, & qualibet alia praestatione, qua eis tenebantur astricti, qua fungimur auctoritate, absolvimus, donec ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae humiliter redeunt absolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod si eis in praedicta excommunicatione manentibus adherere forte praesumpserint, illos eadem cum ipsis poena statuimus excommunicationis involvi. Caeterum ut dictorum sacrilegorum poena sit aliorum cautela, inhibemus Venerabilibus in Christo Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, eorumque vicem gerentibus, & Ecclesiasticis personis Secularibus, & Religiosis, nec non Ecclesiarum Capitulis, & Conventibus exemptis, & non exemptis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Sancti Benedicti, Minorum, Praedicatorum, Sancti Augustini, & aliorum Ordinum, necnon Magistris, Praepositoribus, & Fratribus Militiae Templi, S. Joannis Hierosolymitani Hospitalis, & B. Mariae Theutonicorum sub nostra legatione manentibus, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis, & litteris eis, vel eorum aliquibus, aut ipsorum Ordinibus a praefata Sede concessis, ne ipsi, vel eorum aliquis vel aliqui corpora illorum, qui sine digna, & debita satisfactione decesserint, tumulare, aut tumulationi eorum quoquomodo interesse praesumat. Si quis autem praedictorum contra praemissam inhibitionem nostram venire tentaverit excommunicationis vinculo se noverit innodatum, majori poena pro tanta inobedientia puniendum, & loca nihilominus, in quibus talia corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. Publicata Posonii quarto Idus Novembris.

Ut nulla Ecclesiastica persona praestet auxilium, consilium, vel favorem alicui laico contra Ecclesias, Ecclesiasticasque personas.

§. 3. Illi procul dubio sunt majori poena plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur. Cum igitur personae Ecclesiasticae singulariter teneantur tueri Ecclesiam, a qua suam tuitionem recipiunt, praesenti Decreto statuimus, ut nulla Ecclesiastica persona exempta vel non exempta cujuscumque praerogativae, status, aut dignitatis existat, etiam si pontificali fulgeat dignitate, praestet alicui laico, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existat, contra Ecclesias, ecclesiasticasve personas consilium, auxilium, vel favorem publice vel occulte. Si quis autem hoc ecclesiastico honore postposito contra tam salubrem Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

bre statutum venire praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominus si inferior Episcopo fuerit, Episcopus suus contra eum ad privationem ecclesiastici commodi, & honoris procedere: Si vero Episcopus Metropolitanus, sui Suffraganei excessum hujusmodi teneantur, quam cito commode poterunt, Sedi Apostolicae nunciare. Publicata Posonii IV. Idus Novembris.

Ne quis recipiat Ecclesiasticum Beneficium de manu Laici.

§. 4. Praesentis Constitutionis auctoritate sacro approbante Concilio inhibemus, ne quis Archiepiscopatum, Episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, Personatum, Parochialem Ecclesiam cum cura, vel sine cura, Beneficium aliquod Ecclesiasticum, seu alicuius praedictorum administrationem, vel detentionem, de manu laicali recipere, vel jam recepta retinere sub quovis colore praesumat. Si quis autem contra fecerit, vel sic receptum beneficium eo ipso, & nisi locum, quem sub crimine tantae inobedientiae tantaeque ambitionis taliter jam recepit, vel in futurum recipiet, respiciendo deseruerit liberaliter infra duorum mensium spatium a publicatione Constitutionis praesentis, quoad jam recepta, a receptionis vero tempore quoad ea, quae deinceps continget sic recipi, numerandum, ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddatur, itaut ad dignitatem, vel Beneficium Ecclesiasticum nullo unquam tempore absque dispensatione Apostolicae Sedis, vel nostra eligi valeat, vel assumi. Insuper, ut quantum exceperit, poena docente recognoscatur; si quam dignitatem, Personatum, vel Beneficium aliquod cum cura, vel sine cura sic recipiens, vel detinens, & ut praemittitur non dimittens, canonicè forsitan obtineat, ea, sit praesentis Constitutionis vigore ipso facto privatus: indignum enim fore censemus, ut Ecclesiastico beneficio gaudeant, qui eam tam nefandis ausibus despectui habuerunt. Injungimus quoque, & in virtute sanctae obedientiae, necnon sub excommunicationis poena praecipiendo mandamus omnibus, & singulis, tam Clericis, quam Laicis, Rusticis, Jobagionibus, Vassallis, Castellanis, Comitibus, & Officialibus aliis quocumque modo subjectionis astrictis dignitati, personati, vel beneficio taliter, occupatis: quod occupatori, vel detentori praedictis in nullo pareant, vel intendant. Qui vero temere contrafecerit, si Universitas fuerit, interdicti; si autem singularis persona excommunicationis sententiae se noverit subjacere. Publicata Posonii IV. Idus Novembris.

De non occupandis, & restituendis Bonis Ecclesiasticis.

§. 5. Cum multa providentia fuerit olim a felicis recordationis Benedicto Papa XI. Apostolicae Sedis Legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, constitutum, quod nullus invadere, occupare, illicitè detinere praesumeret decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones, & bona ad Ecclesias, Q9